



DIONYSII PETAVII AURELIANENSIS, E SOCIETATE JESU, DE LEGE ET GRATIA, LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Exponitur illorum opinio, qui legi Moſaica preceptum attribunt illicitæ rei ac nefariæ. Cujus erroris ſumma ad certa capita revocatur.

I. OMNIUM hærefum, quæ Eccleſiam hætenus infeſtam habuerunt, antiquiſſimæ ac teterrimæ fuerunt illæ, quæ auctori boni, vero & ſempiterno Deo, mali auctorem oppoſuerunt alterum, ac peræque ſempiternum. Quo in genere Cerdones, Valentini, Marciones, Manichæi, Prifcillianiſtæ, ac poſtremò Waldenſes, celebre ſibi apud poſteros nomen impietate pepererunt. At iſtorum omnium utcumque gravis, ac deteſtandus error, fuit hac una re tolerabilis, quòd eundem intellexerunt boni ac mali auctorem eſſe non poſſe Deum: itaque in duos potiùs officia iſta partiti ſunt natura, efficiendæque contrarios, quàm ut unum amborum utique meliorem, immò ſolum bonum, mali quippiam aut velle per ſe, aut efficiere, aut imperare dicerent. De hoc mali genere loquor, quod propriè malum eſt, hoc eſt infeſtum vitii, ac turpitudinis macula, & ab regula rationis rectæ, atque honeſtatis abhorret. Hujus erroris conſectarium illud fuit, ut quia veterem, ac Moſaicam legem impiam, ac ſecleratam eſſe judicabant, latorem illius, & conditorem fuiſſe jactarent ejus ſimilem, hoc eſt malum, malique principem Deum.

II. Tunc eſt autem mala lex, & legis ipſe malus, ac vituperandus auctor, cum & illa ſcelus & flagitium facere per ſe, ac rectè imperat; & iſte, quam ejuſmodi eſſe novit, iis, quibus præeſt, pro jure ſuo, ac poſteſtate conſtituit. Ergo & illi, quos nominavi, antiquiores hæretici Moſaicæ legis capita pleraque reprehendere ſolebant, iſſque vitium ac peccatum præcipi dicere; ut eo conſeſſo, quod reliquum erat, obtinerent; alium quemdam præter Bonum, & conſeſſum Deum, parem huic æternitate ac poſteſtate ſtatuentium eſſe, malum, ac mali principem. Adeo vel in tanto ſtupore, ac tam horribili cæcitate, cujuſmodi illorum animos obſederat, tamen illud videbant; idem boni ac mali principium eſſe non poſſe. Nec dum ſcilicet Lutheri, Calvini, & nuperæ aliæ labeſ exſtiterant, quæ hoc poſtremum profiteri non dubitarent, non minùs peccati, ac ſceleris auctorem ac deſtinatorem eſſe Deum, quàm rectè honeſtæque faci.

Cujus erroris fautores, & propugnatores non ſoli ſunt hæretici: ſed etiam Catholicorum partium aliqui; contra quos hanc diſputationem ſuſcepimus. Qui tum veterem legem, itidem ut illi, quos paulò antè dixi, ſuperiores hæretici, impuram ac nefariam eſſe reiſpâ docent: tum ejuſdem inſtitutorem, ac nefariam eſſe reiſpâ timuerunt, unicum, eumque bonum nihilominus, Deum eſſe prædicant.

III. HANC eſſe Novorum Theologorum ſententiam, quantumvis negent, ac tergiverſentur, ex eorum verbis ac decretis, quæ in Apologia ſecunda Scripſtor Anonymus nuperimè recoxit, hoc modo demonſtratur.

Malam & injuſtam legem cum dicimus, nulla dicti hujus, opinor, alia nobis occurrit notio, quàm ut ea talis intelligatur, quæ turpe aliquod, & vitioſum facere ex profeſſo jubet. At hujusmodi per illa tempora Moſaicam fuiſſe legem, ſectæ illius eſt opinio, ut in Tomo primo Theologorum Dogmatum, libro decimo demonſtravimus: ex quo illorum verba repetemus.

Etenim * propter carnalia diligere Deum, non gratuitus, ſed mercenarius amor eſt (inquiunt) idèque impurus, dogma carnalis, vitioſus. Hujus itaque vitioſi amoris, & impuri, puritatisque * celeſtis regni adipiſcendi neceſſaria eſt diametro contrarii, ſive * ſerena cupiditatis, fomentum ac præmium lex illa ex profeſſo promittebat, ait ille, ac mox ex Auguſtino * probat, inter Judæos fuiſſe quosdam bonos, qui Deum ibi piè colebant, ſed tamen propter terrenas res, propter iſta præſentia. Sunt enim impii, qui præſentium verum bona à demonibus querunt. Hic autem populus idè melior erat gentibus, quòd quamvis præſentia bona, & temporalia, tamen ab uno Deo quærebant, qui eſt creator omnium & ſpirituum, & corporum.

Ad quæ Auguſtini verba Dogmatiftes hæc adnotat: Quo * fit, ut quavis cordis interni cardo per hujus mundi dilectionem à Deo vero, ſicut & gentium, recederet, non tamen eoſque ut in demonia, aut idola laborentur. Quod & ex alio loco ejuſdem * Auguſtini probat. Iſte ergo receſſit à Deo, ſed non longè, quia quaſi pecus factus ſum, & ego ſemper tecum. Illi verò longè receſſerunt, quia non ſolum terrena deſideraverunt, ſed ea à demonibus, & à diabolo petiverunt.

Itaque * Synagoga, ait idem, conſiderata ut Synagoga, non erat aliud, quàm terreni populi turba, hominumque carnalium congregatio ſolis terrenis, & carnalibus incubantium, & propter illa ſola coeleſtium unum Deum. Tum paulò antè, Teſtamentum veteris, in quo ſola terrena promittebantur, congruis hominibus datum eſſe, non ea de cauſa, ut per hujusmodi Teſtamenti promiſſiones, & obſervationem eorum ſalus æterna in tuoſ locaretur, vel etiam de propinquo curaretur: ſed ne res illas, quas carnali vitioſoque amore diligebant, à demonibus quærerent.

Item in titulo capitis nono: Status Veteris Teſtamenti, ut talis, non erat juſtitia, & ſalutis, ſed potiùs peccati, & mortis.

IV. Hæc verba, ceteraque illius Operis ac dogmatis eòdem ſpectantia, venenum illud continent opinionis impure, Legem Moſaicam per ſe, & ex inſtituto, ac voluntate Legiſlatoris Dei, ſcelus imperaſſe; hoc eſt vitioſum, & damnabile quiddam non ſolum permiſſiſſe; ſed etiam præcepiſſe; ac minis, & præmium illecebris ad rem turpem, & flagitioſam incitaſſe. Etenim

nim ſi Deum propter carnalia, & terrena diligere, peccatum eſt; & à Deo vero defectio: cum vetus Lex hoc ipſum per ſe, & ex profeſſo ageret, ut ad Dei cultum, & obſequium terrenorum ſpe commodorum alligeret; eamque cupiditatem non aliis, quàm iſtis, propoſitis bonis inflammare ſtuderet, mali hortatrix ac præceptrix ſine controverſa fuit. Ut ſi quis legum lator, veritus ne cives nuptiarum pudicitia infidias faciant, edicto caveat, ut qui uxorem nullam habent, aut cauſariam & nuptiali officio inutilem habent, concubinam adſciant; ac detrectantes quâ propoſito ſupplicio, quâ præmiis ad obſequendum impellat; improba ſit, & flagitioſa lex illa, tamen bonum ad finem referatur.

V. TRIA ſunt igitur in novo iſto Dogmate, perinde ab communi hominum, atque ab Chriſtiano remota ſenſu, & citra controverſiam hæretica. Alterum, quòd legem veterem, terrena cupiditatis, quam vitioſam, impuram, & carnalem dilectionem vocat, quia non gratuita, ſed mercenaria eſt, illius, inquam, cupiditatis fomentum ac præmium ex profeſſo promiſſiſſe dicit. Hoc enim eſt, provocare ex profeſſo homines ad peccandum: nempe ad illud exequendum quod ex profeſſo Lex, immò Legis auctor Deus imperat. Alterum eſt, quòd Synagoga, conſideratam ut Synagoga, non aliud fuiſſe dicit, quàm terreni populi turbam, hominumque carnalium congregationem, vitioſo illo amore, & cupiditate coeleſtium Deum. Vel, quòd eòdem relabatur, Status veteris Teſtamenti, ut talis eſt, non fuiſſe juſtitia, & ſalutis, ſed potiùs peccati, & mortis. Quod quid aliud eſt, quàm in Deum ipſum reſundere vitium illud, & turpitudinem probroſæ, ac nefariæ cupiditatis? Etenim Synagoga, conſiderata ut Synagoga, Dei opus eſt, ac vera ejus Eccleſia, uti tunc tempora ſerabant. quam quidem coëgit, ac congregavit ut inſtituit Deus; & quibus voluit, atque expedire cenſuit, officiorum legibus, præceptiſque temperavit. Quocirca ſi Synagoga, quâ Synagoga eſt, mala, & vitio eſt obſita, mali per ſe eſt auctor, artiſex, & inſtitutor Deus. Ut qui hominem, conſideratum ut hominem, vitioſum eſſe dicit; turpiter mentiar, & illius creatori Deo contumeliam faciat, tamen reiſpâ peſſimos eſſe fingas homines univerſos. Siquidem homines opus ſunt Dei, in quantum homines ſunt: ſed ſub diabolo ſunt in quantum peccatores ſunt, ut ait Auguſtinus. * Qui & alio loco, Quæſi duas res ſunt, inquit, homo, & peccator. Quod audit homo, Deus facit: quod audit peccator, ipſe homo facit. Tertium, quòd Teſtamentum veteris, ac Legem Moſaicam, non ea de cauſa datam eſſe Judæis adſtruit, ut eorum ſaluti conſuleretur; ſed ut ne terrena bonâ, quæ vitioſo amore diligebant, à demonibus potiùs quàm à Deo peterent.

VI. Quod ſi verum eſt, eò vis tota Legis ac fructus redigatur, ut tolerabiliùs dumtaxat peccare doceat, & vitandi gravioris delicti gratiâ, levius alterum admitteat. Quamquam levius, tolerabiliùſque dici non poteſt, peccandi copiam à Deo petere, quàm à demone. Immo gravior, atrocioſque crimen eſt, orare Deum, ut fallere, pejorare, aut ſcelus aliud facere per illum liceat, quàm hoc idem à diabolo, vel falſo aliquo numine poſtulare; ut qui apud Horatium ita precabatur,

Pulcra Laverna,

Da mihi fallere: da ſanctum rectumque videri, Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Atqui illud ipſum, quod eſt turpiſſimum, & flagitioſiſſimum, quàm hoc, cujuſ vitandi cauſa ſuſceptum dicitur, ſuaſente; immò imperante, cogente; auctore denique Deo, à Judæis uſurpatum eſſe docuit recentis conditor ſectæ: & ne vitioſæ, improbeque cupiditatis lenonem, & conciliatorem faceret diabolum, facere non dubitavit Deum. Quid enim aliud eſt, Legem à Deo datam dicere, quæ vitioſæ cupiditatis fomentum, ac præmium ex profeſſo promittebat, ne illud idem promittere diabolus occuparet, niſi affirmare Deum ab ſe vitii adjuſta illa, & fomenta capi, ac ſperari, quàm ab diabolo, maluiſſe? Quanto prudentiùs, ac religioſiùs ethnici illi veteres, qui ſtuprorum, latrociniorum, eadum auctoritatem Veneri, Baccho, Mercurio, Marti, ac profanis Diis ceteris, hoc eſt demonibus, mandabant; quàm nuperi iſti Theologi, qui Deo vero, ac

ſummo partem allegant fovendæ, promovendæque nequitia?

CAPUT II.

Vetus Teſtamentum, ex nuperorum Dogmatifitarum opinione, omni gratia, & auxilio ad bene vivendum, & ad ſalutem neceſſario caruiſſe: itaque non Judæorum, ſed Legis ipſius vitio atque culpa.

I. EJUſDEM indolis eſt, quod illius auctor ſectæ Judæis aſſerit in ſtatu illo Teſtamenti veteris, nullam proſus aſſuiſſe gratiam. Quod non ſic ab iſtis aſſirmari putandum eſt, ut hoc tantummodo velint; Moſaicam Legem, vetuſque Teſtamentum nihil ex ſe, ac ſuapte vi, & indole, gratiæ contuliſſe. (Hoc enim Catholicos omnes fatentur; Legem nihil omnino gratiæ tribuiſſe per ſe, interioris, & propriè dictæ: ſed ejus auctorem, & largitorem unicum intelligunt eſſe Chriſtum; cujuſ meritum per omnia & antecedentia, & conſequentia tempora juſti, ac ſalvi facti ſunt, quicumque juſtitia, ac ſalutis compotes fuerunt.) Sed illud hoc ſenſu aſſerunt; omni ut auxilio gratiæ Chriſti ad rectè agendum, & ad vitanda peccata, atque ad damnationem eſſugiendam, & ad ſalutem conſequendam neceſſario funditus deſtituti fuerint: idque non ulla præcipuâ culpâ ſuâ, ſed ex natura Legis ipſius, & ſtatu antiqui Teſtamenti: qui poſtulabat, uti nulla Iſraëlitico populo, qui ſub illo verſabatur, gratia ſuppeteret. Atque hoc prioris illius decreti conſectarium eſt; quo Legis Moſaicæ ſtatum impurum, vitioſum, & damnabilem fuiſſe pronuntiant.

II. PRINCIPIO nullam ex Chriſti meritum aſſuiſſe gratiam Teſtamenti veteris alumnis, * Apologetici Scripſtor ex Antithetiſis ſui verbis ita demonſtrat. Qui cum ſcripſiſſet, Teſtamentum veteris magnam quamdam quaſi comediam fuiſſe, quæ non tam propter ſeiſam, quàm propter id, cui præfigurando ſerviebat, hoc eſt propter Teſtamentum novum, ejuſque principem; & heredem Eccleſiam, ab illa gente, tamquam ad hoc idoneâ ageretur; cauſam reddit illius dicti ſui: Quandoquidem enim (ait) carnalibus implicata ſtudiis, & amoribus, terrenæque felicitati vana dedita, celeſtium, atque ſpiritalium incapax eſſet cogitationum, quid congruentius, quàm ut illa, qua inuſit eſt ſaluti ſuæ, ſaltem aliena figurandæ procurandæque ſerviret? Ac totam Teſtamenti iſtius obſervantiam Veteris hominis ſervitutem nominat. Eſt autem homo vetus, eo ſenſu, quem Apoſtolus uſurpare ſolet, ex eoque nuperus Apologetiſta; nihil aliud, quàm peccato corrupta, depravatæque natura, ſive peccati ſtatus, aut corporis peccati. De quo ſic in * Epiſtola ad Romanos, Hoc ſcientis, inquit, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtrueretur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato. Chryſoſtomus hominem veterem interpretatur, & ἀνομιαν καὶ νόμον, hoc eſt integram pravitatem, ac ſuis omnibus partibus abſolutam: quam * & corpus ait eſſe peccati: nimirum, nequitiam ex diverſis pravitatibus conſtatam; uti corpus ex ſuis membris componitur.

III. HANC ipſam gratiæ Chriſti Teſtamenti veteris alumnis negatæ funditus hæreſim, reliqua detegunt illorum dicta partim à nobis prolata in Tomo primo Theologorum dogmatum: partim ab Apologeta repetita pariter, ac deſenſa. * Cardinem, aiunt, volumatis eorum, qui ſub lege vivebant, rapiebat non fides, quæ per veram Dei dilectionem operatur; ſed terrena cupiditas, cujuſ fomentum, ac præmium lex illa ex profeſſo promittebat, &c.

* Quo fit ut quavis cordis interni cardo per hujus mundi dilectionem, à Deo vero, ſicut & gentium, recederet, non tamen eoſque, ut in demonia, aut idola laborentur. Quamobrem eandem Judæorum & gentilium, quod ad gratiæ præſidia pertinet, fuiſſe rationem, natio iſta novorum Theologorum exiſtimat; hoc eſt ambos illâ ex æquo caruiſſe, quod proſus initio ſeptimi capitis ejus libri, unde ſuperiora ſumpſimus, aſſeverat, Idem videlicet de gratia ſufficiente Teſtamenti veteris hereditas data arbitrarium eſſe, quod de illâ eadè gratia in gentilibus eſſuſa ſtatui debet. Porro de infidelibus hæc illorum ſententia eſt, quam titulus undecimi capitis libri ejuſdem tertii præ ſe fert: Infideles carent gratia ſufficiente ad ſalutem, tam proximam, quàm remotam, & omnibus principiis

piis ejus. Et initio capituli, ne ejusmodi quidem sufficiens auxilium infidelibus assignari patitur, quale Theologi quidam attribuunt; cogitationem quampiam ad peccatum impediendum utilem, & utrumque preparantem ad excipiendam gratiam. Hac igitur, & omni adeo sufficiente gratia desituros fuisse Judæos, asserunt isti: ac passim illud inculcant.

IV. IMPRIMIS autem ille ipse locus, quem * Apologetici secundi Scriptor ex Magistris sui Opere designat, titulo illo declarat, qui * septimo capiti inscriptus est: Non affuisse hominibus sub lege videntibus gratiam sufficientem servandi legem; vel ullum præceptum ejus. Porro in eodem capite postquam gratiam illam, sine qua præcepta servari nequeunt, * docuit esse dilectionem ipsam justitiam, qua non est alia, nisi illa vera, & pura, legitima, laudatque charitas Dei, * qua sola legem implet, quia plenitudo legis est dilectio, & absque illa, non solum totam legem servari non posse, nec solum supernaturaliter, & merito: sed nec ullum præceptum ejus ita posse servari, ut peccatum vitetur. postea concludit, quæ incongruè dicitur tam carnalibus animis gratiam affuisse sufficientem, præcepta morum ex ista sublimi, & spiritali justitia dilectione servandi, quibus ideo hoc ipsum vetus Testamentum, terrenaque ipsius præmia promissa, ac data sunt, quod (ut supra vidimus) spiritualium rerum incapaces essent. Ac paucis interpositis: Quomodo igitur sufficientem gratiam habebant implendi legem, & quod multo mirabilius, adipiscenda salutis, qui meliora temporalius capere, immo cogitare non poterant? Ad hæc, * ab ipsa gratia non solum invocanda, sed etiam agnoscenda longo intervallo omnes heredes veteris Testamenti distitisse scribit idem capite sequenti: Idque sæpius inculcat: ut cum * ibid. p. inter alia scribit sic in eodem capite: Tales erant omnes omnino veteris Testamenti filii, gratia profusus ignari: immo contemptores.

V. DENIQUE totum illud caput sextum libri tertii, * Apol. ex quo * Apologetici Scriptor infanda illa decerpit, quæ in antecedenti capite descripsimus, disertè hoc ipsum asserat; nullam penitus gratiam illuxisse Testamenti veteris heredibus. Nam * duplicem vitam hominis esse dicit: alteram carnalibus sensibus implicitam, gaudis carnalibus deditam, quæ carnalem fugiat offensam, voluptatibusque sectatur. Hujus vita felicitas temporalis est: à qua vita incipere, necessitatis est, quamvis in ea persistere, voluntatis, alteram, cujus in mente gaudium est, cujus interitum, & æterna felicitas. Utramque deinde vitam asserit Deum cura sua, & providentia dignatum esse; ita ut priori bona illa tantum adspargeret, quæ capere ac concupiscere poterat; hoc est caduca, & carnalia: posteriori verò, spiritalia & cælestia. Itaque ostendere volens, ait, Deus terrenam, temporalemque felicitatem donum suum esse, nec aliunde nisi ab ipso, non à demonibus, falsive diis sperari oportere, priusquam præsentis seculi temporibus dispensandum judicavit Testamentum vetus, quod pertineret ad hominem veterem, hoc est carnalem, carnalibus voluptatibus inherentem, à quo ista vita necesse est incipiat; posterioribus novum reservavit, quo bona spiritalia largiretur. Tum ista pertexit: Propter hanc igitur causam, & hanc utriusque Testamenti differentiam, nihil omnino spirituale in veteri Testamento promittitur; sed sola carnalia, quæ veteri homini, ac vitæ congruunt, devotivæ, opulentivæ, victoriæ, pax temporalis, regnum, gloria, &c. Addit, Hoc Testamentum, in quo sola terrena promittuntur, congruis hominibus deditur Deum; hoc est carnalibus, sola terrena diligentibus, qui spiritualium rerum incapaces, nondum possent ad ea magni pendenda, ac diligenda traduci; idque non ea de causa, ut per hujusmodi Testamenti promissiones, & observationem, eorum salus æterna in tuo locaretur, vel etiam de propinquo curaretur. Et * paullo post, Tota itaque spes, tota charitas erga Deum, totisque cultus erat carnalis, ideoque vitiosus. Nam & avari stremè Deum diligunt, velut satellitem suæ cupiditatis, &c. Nec verò ista omnia, quæ de carnalibus istis animis filiorum veteris Testamenti diximus, de improbis intelligenda sunt; sed potius de illis, qui probiores esse videbantur. Unde ita concludit, ut * superiori capite monstravimus: synagogam consideratam ut synagogam, non esse aliud, quam terreni populi turbam, hominumque carnalium congregationem, &c. * Tum legem illam veterem terrenæ cupiditatis, adeoque vitiosæ, fomentum, ac præmium ex professo promississe.

VI. JAM verò Testamentum illud antiquum, sive Mosaicæ legis statum, omnis profusus expertem gratiæ fuisse, hoc est nullam ejus alumnis, & heredibus imperitam esse, sic nuperis istis Theologis placet, ut hoc conditioni ipsi statui illius, ac naturæ Testamenti veteris assignent, non eorum vitio, ac culpæ, qui bona Legge malè sunt usi, ac peccatis suis hanc sibi gratiæ, & ad benè vivendum necessariæ auxilii copiam intercluserunt. Sic enim in ejusdem libri capite septimo legitur: Ex qua sanè conditione, & interiori statu synagoga, naturaque veteris Testamenti facile liquet, quid de gratia sufficienti Testamenti illius heredibus data ad custodiendum decalogum, ac legem Dei, salutemque spiritalem animæ consequendam, arbitrandum sit. Nimirum non plus gratiæ in Judæos, quam in gentiles effusum fuisse; hoc est omnino nihil; ut subinde pluribus explanat, idque ex conditione, interiori statu, & natura Testamenti veteris, & * in capite nono, ait naturam Testamenti illius, ac statum populi & conditionem temporis illius talem fuisse. Idem significat illa verba, quæ paullo antè commemoravi, synagogam consideratam ut synagogam, &c. Et ex professo carnali cupiditati fomenta promississe. Tum ista, non ea de causa Testamentum illud datum fuisse, ut Judæorum salus æterna in tuo locaretur, vel etiam de propinquo curaretur. Ac ne longum faciam, quæ sunt à nobis ex illorum scriptis hoc in capite selecta; necnon cetera omnia, quæ in eorum libris ad idem argumentum uberrimè disputantur, præ se iltud ferunt; Legi ac Testamento veteri ex natura sua, & propria conditione ac statu convenisse, ut impedimento esset gratiæ; & eam funditus interciperet, atque ab synagoga per sese, ac suapte vi, & indole prohiberet.

CAPUT III

I. Apologetici nuperi uolunt & fucus, in propugnando Mosaicæ Legis adversario. 3. Legem per se esse bonam; ex accidenti verò causam peccati. 4. Dogmatista nuperi falsa opinio. 5. Augustini auctoritate damnata. 6. Manichæorum & Marcionitarum affinis heresi.

I. CUM & adeo sint horrenda novæ factionis architecti dogmata, quæ capite utroque superiori perstrinxi: & tam aperte convicta; ut celari, aut excusari tergiversatione illa nequeant: cum vel quid agat nescientem, vel pudoris expertem oportet esse, qui ad ista ferendū tuenda, & propugnanda stilum, ac mentem adjuvat. Fecit hoc Armacianorum ille symmista; qui Apologeticum nuper edidit adversus Illustrissimum ac Reverendissimum D. Habertum ex insigni Ecclesiæ Parisiensis Theologo Vabrensem factum antilitem. Quo in libro, inter alia flagitia, illud ipsum de Legge veteri à me reprehensum, & confutatum alio in loco, designavit ad defensionis pompam aliquam, & speciem. Nam quod illic oppugnaverat, de eo disputare se, & quæ in invidiam erant vocata, purgare, ac tueri velle præ se tulit.

Sed ubi ad rem ventum est, alia egit omnia; perque ludificationem, eo, quod controversiæ caput erat, omisso, ad ea, quæ necessitaria non erant, nec in questionem adducta, deflexit.

II. VETERIS Testamenti statum, quo Synagoga considerata ut Synagoga, consistabat; & in quo tota illius sita ratio erat, & essentia; per se bonum, & laudabilem fuisse, tamquam ab auctore, institutoreque Deo profectum, dixi faventibus Catholicis omnibus; ex accidente tamen, & propter malè utentium bona lege pravitatem, & socordiam, in eorum damnus ac perniciem vertisse, præter indolem suam, præterque Conditoris mentem, ac propositum. Ex quo sequitur, falsum esse novæ Sectæ commentum, quod antecedens utrumque caput exposuit; cum Legem ipsam vitiosæ cupiditatis ex professo fomenta ministrasse docet, ac peccandi magistrum fuisse.

At * Apologetici Scriptor, dissimulato eo, quod in causa præcipuum erat, & in quo iustissima querelæ, ac questionisque summa vertebatur, partim frigida exceptione cavillari & eludere magis, quam purgare crimen instituit: partim in iis, quæ confessa, neque dubia erant, explicandis supervacaneam operam insumpsit.

III. LEGIS antiquæ beneficio nulli veram confutasse justitiam: nec, quantum in illa fuit, à peccatis extricatum esse quemquam; sed hoc sola Christi gratia homines affecutos esse, longo sermone ac crebris Augustini sententiis approbat: quasi de eo quæstio inter nos ulla versata fuerit. Atqui nemo hoc profusus diffidetur. Verum aliud in causa est, & in opinione Dogmatistæ nuperi: quod illi pro hæretico à nobis objectum, ne litera quidem attingit iste; sed comiter dissimulando præterit.

Sanè Apostolus Paulus in ea, quam ad Romanos scripsit, ubi de Legge Mosaicæ, ejusque vi, ac fructu, accuratissime disputat, Legem asserit, non gratiam, ac justitiam, aut peccatorum veniam hominibus attulisse, sed iræ potius, ac delicti, & damnationis incrementum, * Lex enim iram operatur. Et, * Lex subintravit, ut abundaret delictum. Item, * sine lege peccatum mortuum erat, &c. Sed cum venisset mandatum, peccatum reviviscit. Ad idem vim illam maleficam, & ad peccatum impellentem, non legi per se, propriè que docet: sed ex accidenti, & per occasionem dumtaxat: quemadmodum bona res interdum noxiæ ac detrimetosa fiunt: cum malè bonis utimur. Itaque * Lex, inquit, sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. Tum, * scimus quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum. Jam qua ratione lex illa bona, & sancta, mali, & peccati causa fuerit, declarat ibidem. * Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupiscere. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnium concupiscentiarum. Item, * Lex vero inventum * est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit.

Erat itaque Lex per sese bona, & sancta, & spiritalis, & ad vitam; sed ex accidenti, morum perniciem, ac peccandi libidinem incitavit. * Scri enim fecit peccatum potius (ait Augustinus) quam cavere: & ideo magis auget, quam minuit, quia mala concupiscentiæ, etiam præterit, & varicatio legis accessit. * Item alibi, Quando cognoscit homo peccatum, si non adjuvat gratia, in cogitum carneatur, sine dubio lex iram operatur. Ad ista minime culpa Legis est, nec ejus vitio factum, ut fraudi esset hominibus: sed verum importunitatis potius, & corruptæ ac depravatæ fidei indoli, morboque tribuendum est, quod in damnatum, & exitium salutaris medicina cesserit.

IV. RECTE hoc animadvertit Origenes, Homilia septima in Exodum, ubi illud Ezechielis: * Ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non videntur, hæc adnotat, Tentari enim in præceptis Domini non inveniuntur fideles. Ideo enim inventum est eis mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem; quia sumum, atque idem mandatum, si servetur, vitam: si non servetur, generat mortem, dicuntur mandata non bona. Et * Chrysostronus in Homilia LIV Tomi quinti. Data lex est, inquit, ut peccatorum impetum reprimere; & ut meliores faceret eos, qui illam acciperent. Verum contra evēnit, propter illorum socordiam, peccata enim auferunt. Et alia plura addit ejusdemmodi, ut illam Scripturæ interpretanda regulam approbet: Quod interdum tuis cunctis, id est eventa pro causis divinatorum consiliorum habere videatur: ut cum * Christus idcirco venisse se ait in mundum, ut Judæi occiderent.

Vide Methodium apud Epiphanium hæresi LXIV ubi latissime de lege disputat, & quemadmodum in malum conversa videatur.

V. QUAMOBREM irreligiosa vox est Dogmatistæ recentioris illa, quam superiori capite memoravi: & ab Apostoli, ejusque interpretis Augustini, ac fidei Catholicæ decretis, ipsoque adeo communi hominum sensu diffidens; cujus patrocinium temerè Apologia nuper a sibi sumpsit. Etenim quæ potest bona, justa & sancta esse Lex, quæ per se flagitium imperat: quæ ex professo vitiosæ cupiditati fomenta præbet: quæ ad hoc data ex instituto dicitur, ut terreno, pravo, ac vitioso amoris vellicetur? An verò spiritualis ea Lex erit, & carnalibus adversa Judæis, quæ nihil nisi carnale præcipit; hoc est Deo propter terrena servire commoda jubet: quod non mediocriter esse delictum natio ista Theologorum existimat? An ad vitam mandatum erit illud, quod concupiscentiam, ac terrenarum rerum cupiditatem per se, ac dedita opera fovere, alere, ac promovere studet:

qua peltis capitalior est nulla; neque magis inimica dilectioni; * Qui autem non diligit, manet in morte.

VI. JAM quod ad Augustinum, ceterosque Patres attinet, omnium voce ac sententia recens illud dogma jugulatur. Neque verò necesse est, singulorum dicta proferre. Unus est locus, in quem plurimorum auctoritates, ac testimonia collecta conflunt. Dixi primi capitis initio, commune hoc habuisse præfatis, & obsoletas hæreses, velut Marcionitarum & Manichæorum, uti Testamento veteri Legique Judaicæ bellum indicerent. Hoc ut cum ratione facere se probarent, illud potissimum pugnabant, quæ ab Legge præscripta erant, & imperata, mala esse pleraque, & ad vitium ac flagitium implicata: adeoque Legem novæ, ac mandatorum Christi sanctitatis contraria. Ut, exempli gratiâ, præceptum illud, talionis, quod oculus pro oculo, datus pro dentem reddi jubetur, sceleratum esse dicebant, & abrogatum à Christo, damnatumque Matthæo quinto: ut & alia in eodem capite comprehensa, quales est odium inimicorum, & uxoris dimissio.

At vicissim Catholicis Patres, illam Legis infamiam, & calumniam non alia ratione propulsabant, quam ut ostenderent, nihil ejusmodi, quale pestes illæ jactabant, hoc est turpe, ac vitiosum, antiqua lege præcipi: & quæ illi reprehendebant, honesta & legitima fuisse, ac per id tempus Hebræorum populo, ejusque moribus, & ingenii accommodata, planè que necessaria. Sic adversus Manichæos, & eorum principem Faustum luculenta disputatione contendit Augustinus multis libris, ac præsertim decimo-nono, & vicissim secundo, & in libro contra Adimantum. Contra Marcionem quoque Tertullianus, legis patrocinium, maxime * in quarto libro suscepit. * Irenæus item adversus similes hæreticos pro eadem lege decertat. Tum Epiphanius * contra Ptolemæum, * Marcionem, * Manichæum, aliosque nonnullos. * Qui quidem nominatim ob id inculcatam à Manichæo legem Mosaicam refert, quod ab illa cupiditas, credes, aliæque flagitia profecta, mandataque fuissent.

VII. EST hoc nuperæ, quam oppugnamus, sectæ germanum ac proprium dogma. Nam fomenta terrena, vitiosa, & charitatis inimicæ cupiditatis ex professo promississe Legem veterem asserunt. Quamobrem licet illos eodem quo Manichæos arguit Epiphanius, arguitos referre. * Si ab Legis, inquit, auctore est cupiditas, & eam operatur, cur ubique contra cupiditatem præcepta dat, qui cupiditatem immittit? Qui quidem ita prescribit: Ne concupiscas res proximi tui, neque bovem ipsum; neque asinum, neque ancillam, neque agrum; nec uxorem illius, nec alia quacunque sunt proximi tui. Si cupiditatem tollit à medio, non ejus prætor est dicendum. Num aliter instaret, ac disputaret Epiphanius, si hodie viveret, ac cum rediivis istis legis Mosaicæ reprehensoribus pro eadem tuenda Legge certaret?

Hoc igitur ipsum controversiæ caput, & totius disputationis locus erat præcipuus, in quo herere, ac peccatum conferre deceit illum, qui Apologeticum alterum dedolavit: ut quod sectæ suæ conditori objectum fuerat, de eo potissimum ageret, responderetque, si posset; & nisi cavillari, ac fucum facere mallet.

Quamobrem nugari deinceps desinat, quisquis ille est, & istic sit. Doceat nos quemadmodum ab Legis antiquæ, & auctoris ejus Dei contumelia, Patriarchæ sui decreta vindicet. Ostendat vel non esse flagitium, lenocinari vitii, ac peccatis, eaque variis illecebris & irritamentis ex professo fovere: vel non istud egisse Mosaicam Legem, ex novæ Sectæ sententia, & impunitæ libidini, cupiditati que dedita opera servivisse.

Hæc in Apologia sua purgare; aut præstare certè, ac palam tueri, patronum illius atinebat: non supervacanea illa, & ad rem minime spectantia commemorare: quemadmodum Lex gratiæ nihil ex sese contulerit; nec peccatum curaverit: sed confirmavit potius, ac vires suffecerit: & id genus alia; quæ nec ad litem faciunt; & ignota vulgò non erant, etiam antequam Theognis nasceretur.

CAPUT IV.

- 1. Legis antiqua vituperatores, vortimque principem contra se sentire, ac vera interdum opinioni suffragari. Quid fit ex professo aliquid facere, & ex accidenti.
- 2. Declaratur medicorum exemplo, quomodo Lex veteris ex accidenti peccatum augebat. 3. Refelluntur ex Augustina Legis obtrahentes. 4. Tum ex usu communi loquendi, & absurdo, quod ex illorum sententia sequitur.

SEd quid ad Legis obtrahentes retinendos, Salunde testimonia, & argumenta conquirimus? Dabo istos ipsos contra se, pro eadem, quam criminari ausi sunt, Lege pugnantes. Augustini xmulus iste, qui nuper incitavit illam fabulam recoxit, postquam Legis effecta, & importata per eam maleficia declamavit; * demum explicare modum instituit, quo lex peccatum abundare facit, & iram operata est. Verba sunt hac illius: Quapropter & modus explicandus est, quo praeviationis gratia, seu propter praeviationem, Lex variata fuit: & quo tandem consilio lex talis hominibus infirma data, qua peccatis afflicti gravibus adhuc affigerentur. Hoc enim a divina misericordia, atque benignitate prima fronte videtur abhorre. Huic vero quaestioni respondet sic: Hoc per accidens contingere ex parte Dei: per se ex innato, & consuetudine roborato hominis vitio, &c. Legis ergo accessus per se quidem tendit ad restringendum cupiditatis imperum, quatenus frenandum esse docet: sed propter infirmam visceribus hominis libidinem, fit ut inde ardentius inflammetur, &c. Lex enim per se non fomes, sed limes ardoris est: quamvis propter vitium, ex limite exarsescat magis, ac magis.

Hac ut verissima sunt; sic ab aliis discrepant ejusdem sententis, quas superioribus capitibus exposui. Ibi enim Legem aiebat, peccatis, ac vitiis, hoc est rerum terrenarum cupiditati, quam carnalem ac vitiosam esse statuit, fomentum, ac premium ex professo promittere. Quod autem ex professo facit Lex, id per se facit, non per accidens. Itaque per se fomes est ardoris, & amoris impuri, ac vitiosi: quod illic negat. Quid est aliud profiteri, quam aperte, ac palam pra se ferre, ac polliceri? Sic medicinam profiteri, aut philosophiam, est per se, & ex instituto disciplinas istas docere velle.

II. Et ut ab re medica nondum recedam, opusejus artis, hoc est corporum sanatio, duobus exerceri modis potest; aut ex professo; aut ex accidenti. Ex professo medetur, qui sponte, ac de industria, in auxilium vulnerum morborumque, idonea remedia ex artis suae praeceptis adhibet. Siquidem aegris medicina promittitur, ait * Cornelius Celsus. Ubi promittendi verbo est usus, quod Graecis est *παρομιθεω*, & idem ac profiteri. Ex accidenti vero sanitatem affert, qui aliud agens, & imprudens eam restituit, dum aliquid facit, unde praeter ipsius mentem, ac consilium, illa consequitur. Sic de Jafone Phraeo proditum est, hunc ab inimico vitam eripere volente ea parte corporis percussam, quae interiore & insanabili vomica laborabat, repente aperta illa convalescit. Sic quae apud Aufonium

Toxica zelotypo dedit uxor moecha marito,
Nec satis ad mortem credidit esse datum,
Miserunt argenti letalia pondera viri,
Cogeret ut celere vis geminata necem.

Quae res illi saluti fuit. Nam hydrargyrum viam sibi ac veneno, per inferiorem alvum fecit, cum coque dejectum est. Ili ambo non ex professo, sed ingratius, & ex accidenti vitam ac sanitatem iis, quibus nolebant, reddiderunt.

Hoc modo Lex Mosaica, si per accidens tantum peccatum augebat, & fomes erat amoris vitiosi, non id ex professo faciebat. Atqui fomentum ex professo, ac premium promittebat obsecrare illi, & vituperanda cupiditati, ut sectae magister docet. Non igitur per accidens, sed per se, hoc est directe, ac destinato consilio id agebat. Hoc consilium sermonis, & repugnantia consuetudinis tenetur nova hac opinio. Cujus si sensum non habuit Apologetici Scriptores, multum pinguis homo est, & parum acutus. sin videns scientiae dissimulavit, ver-

* To. 3.
lib. 1.
cap. 10.

* Init.
lib. 1.

fusus est & callidus, qui desperatae causae laebam captavit in loco illo communi, de quo nulla inter nos erat quaestio; id vero praetermisit, cujus gratia postulata a nobis ac reprehensus fuerat.

III. Ur autem temerarii dicit, & absonti magis illos pudeat, age quod de Lege veteri illic est dictum, in aliam transferamus. Augustini ex libro primo ad Simplicianum locum quemdam asserti *de Novis* (sic enim oppugnatorem Legis appellare licet eodem jure, quo *de Novis* Epiphanius * hareticos illos vocat, qui Evangelium Joannis rejicientes, etiam praedicant, & nobilitatem ab eo *de Novis*, id est Verbum abnegabant.) Ille ergo vituperator Legis, Augustinum citat interpretem Apostolicum illius sententiae, * quae ministracionem mortis legem nominat: & alterius, * in qua legem subintrasse dicit, ut abundaret delictum, & ejusdemmodi ceterarum, in quibus *de Novis* aliquid apparet. * Nec mireris, ait Augustinus, cum de ipsa praedicatione Evangelii dictum sit, * Christi odor bonus sumus Deo, in iis, qui salvati sunt, & in iis qui pereunt; alius quidem odor vita in vitam, alius autem odor mortis in mortem.

Eandem igitur hac in parte rationem esse censet Augustinus veteris ac novae Legis; quatenus utraque per se bona est, & ad bonum hortatur, & impellit: ut malum vero, non per se, sed ex accidenti. Utrobique enim * per bonum factum est malum, dum male accipitur bonum: ait idem Augustinus alio in loco. Et, * Quis non videt non legis, sed bonum vitio, lege subintrante, abundasse peccatum? Idem & Chrysostomus * affirmat Homilia xii in Epistolam ad Romanos, ubi Apostolum excusat, quod Legem Mosaicam nimium deprecatorem videatur minus attentè cogitantibus, & quasi auctorem peccati facere. Si enim, inquit, crimen hoc Legis est, quod peccatum per eam occasione cepit, id ipsum etiam innumera sunt etiam leges, & de majoribus plurimis rebus in novo Testamento reperiet. Quippe in novo Testamento innumera sunt etiam leges, & de majoribus plurimis rebus editae. In his ergo non minus, quam in illa, idem evenire videtur: nec solum in concupiscentia, sed in omni profusioe pravitate.

IV. QUAMOBREM quod de Lege veteri *de Novis* dixit, audeat etiam de Evangelio profiteri sic: Evangelica lex ex professo data est, ut mortem ministraret hominibus, & ut abundaret delictum: quis enim vocem Christianus aequis auribus admittat? quis non exhorrescat? Atqui par est pro suo modulo scelus in illa altera, quam de Lege Mosaica pronuntiavit Anomorum princeps, & hujus manipularis editor Apologetici tactor.

* Sanè Christum ipsum, id est Messiam positum esse dicit, adeoque missum significat per Simeonem Spiritus sanctus, in ruinam multorum. Tum de se * Christus idem profiteretur, se in judicium in hunc mundum venisse hoc est in majorem condemnationem, ac poenam, quam ad quibus repudiatus, & contemptus est, maxime Judaeorum; ut Chrysostomus, eodem isto in loco, & ad illum Evangelicum tam ipse, quam Cyrillus, Augustinus, Theophylactus, alique docent: quatenus ad improbos eadem illa verba referuntur: quorum propria sunt ista, quae sequuntur: ut qui vident, caeci fiant: hoc est graviter excaccantur, ut ait Augustinus.

Audiamus hac de re pulcherrime disputantem Ambrosium in libro primo de Jacobo & vita beata, capite quarto. Quid miraris igitur, inquit, si lex quibusdam morti sit, cum morti sit & Domini salutaris adventus, per quem redempti sumus? Infidelis enim mortem sibi quaerit ex gratia: manet autem mandata gratia. Etenim sicut cognitio venenatorum poculorum consummatur ad disciplinam medicina: sic divinum mandatum ad vitam aeternam, &c. Mox ista pertexit: sicut ergo bonum est antidotum, etiam si imprudenti, aut intemperanti non bonum: sic bonum mandatum, etiam si intemperanti non bonum est.

Eximius est de eodem argumento locus Aug. in lib. i contra Cresconium Grammaticum, cap. xxiii, & sequentibus; ubi non solum res omnes, quae ad naturalem usum hominum a Deo conditae sunt, non omnibus tamen habentibus utiles esse probat; sed tantummodo ventis, arma, veltes: veterumque Baptisimum, & illa bona, quae ad legem Dei pertinent: ac praesertim legem ipsam veterem: cujus occasione peccatum operatum esse concupiscentiam omnem testatur Apostolus. Inde ad Baptisimum rediens, praclare demonstrat, eandem hujus ac legis Mosaicae rationem esse, quod ad bonum, vel pravum

illius usum attinet; ac Donatistas aliter existimantes, & baptismi suo plus aequo tribuentes acerrima oratione convincit.

Quae cum ita sint, an quisquam vecors adeo sit, qui Christum asserat ex professo a Patre esse missum, & in hunc mundum venisse, ut Judaei majori damnatione plederentur; aut ut pervicaciam eorum, ac caecitatem augetet?

V. Hæc sunt portenta Lutheranae, Calvinianæque hæresis, quam Manichæa, ex hac parte, contaminationem esse supra demonstravimus: Qui enim minus de Christo, & Evangelio usurpare tale aliquid audeant, quam de Lege Mosaica; cujus auctor, conditor, & latior idem ipse Christus fuit? Quippe * Jesus populum de terra Egypti salvasse, & eos qui non crediderunt perdidisse, ab Apostolo Juda dicitur. Quamobrem detestanda utrobique vox est, sive Christum ex professo ad culpandum hominem venisse pernicem dixeris: sive Legem antiquam fovendis ex professo vitiis fuisse concessam.

Quamquam quid hic Christum, ac Deum, vel ab eo traditam peraque veterem ac novam Legem commemorare atinet? Ecce tibi creatæ res omnes, quamvis & a bono creatore conditæ, & bonæ ipsæ sint; mali tamen plus ferè, quam boni afferunt iis, quorum gratia productæ sunt: pluribus certe nocent, quam profunt; quia plures electis mali sunt, ac reprobi: quibus exitiose istæ sunt. * Quoniam creatura Dei in odium facta sunt, ut ait Sapiens; & in tentationem animabus hominum, & in multiplicem insipientiam; quorum utique major, quam aliorum; immo infinitus est numerus. Quod si * quis ideo creaturas a Deo factas ex professo, dicat, ut hominum sceleribus obsecundent, & ad ea perpetranda, fomentis ac premiis illos acuant, profanus merito, ac scelestus habeatur.

VI. ATQUE ut majoribus istis commodis illarum, & incommodis omissis, quæ ad animum salutem pertinent; in minoribus, & propriis corporis insistant; licet adversus Calvinum, & Lutherum, eo argumenti genere contendere, quod ad Manichæorum similem; immo, ut dixi, tolerabiliorem convincendam insistant, adhuc solet Augustinus. Ut in * libro xv contra Faustum, de locis illis disputans, quibus Legi detrahi videtur; negat in illis reprehendi legem: sicut non reprehenditur scientia, cum dicitur: scientia instat, caritas vero aedificat. Et paulo post. Ergo Lex semper est bona; sive oblit inanimibus gratia, sive profit plenis gratia; semper est bona: sicut Sol semper est bonus, quia omnia creatura Dei bona est, sive dolentibus oculis noceat, sive sanos mulceat. Expecto quædæ mox isti frontem perfricat, & scientiam, quam Dei esse munus, impii sint si dubitant; ex professo datam atulerant, ut saltu, & gloriose vento sufflati homines intumescant. Aut ut Solem a Deo creatum, & expositum oculis dicant ex professo, uti male fit contentibus illum aegris luminibus. * Isto, inquit, modo, de illis loquens Augustinus, possum & Solem vituperare, quoniam quidam peccantes, vel debita non reddentes, poni a Judicibus jubentur ad Solem. Cur enim eloqui talia vereantur, si Legem ex professo fovendis, & excitandis cupiditatibus, ac vitiis inservisse docent? Mille sunt ad manum exemplorum similitum, quibus traduci Anomorum error, vel frangi pervicacia possit.

* Job. 5.

* Aug. 14.

* Eccl. 11.

* Op. 18.

* Aug. 12.
de Chr.
cap. 4.

CAPUT V.

- 1. Anomorum erroris capita tria; qua singulatim refutantur. 2. Primum, Synagogam non fuisse veram Ecclesiam, sed colluvionem quamdam hominum carnalium ex genere suo damnabilem: 3. Atque hoc non ex eo factum esse, quod mali essent, sed quod ex legis praescripto viverent. 4. Secundum caput; in Ecclesia tam qua ante Christum existit, quam qua postea facta est, solos censeri justos. 5. Tertium caput, Judaeos eo ipso, quod legi obtemperarent, scelus fecisse ac damnationem meruisse.

ATQUE ut ordine, ac via disputatio nostra cursum suum teneat; tria constituum Anomorum doctrinae capita, sic tamquam mystica dogmata: quæ cum in illorum Patriarchæ libris partim diserte tradita sunt; partim ex claris, & aperte positus necessariò se-

quantur; tum ab Apologetici Scriptore manifestius, & distinctius, quam ab illo ipso, cujus causam tueretur, explicata sunt.

Horum primum est, Synagogam, sive Judaeorum congregationem, quæ sub lege Mosaica, & veteri Testamento merebat, quantumvis Legi ac Testamento isti ex ejus spiritu ferviret, Dei Ecclesiam minime fuisse. Sed nullam præter Christianam, astitisse unquam Ecclesiam: Judaicam autem, ac veterem Synagogam, non nisi colluvionem quamdam fuisse hominum carnalium ex genere suo vitiosam, ac damnabilem.

Alterum est, solos justos & sanctos in vera, & unica Dei Ecclesia, quæ ante natum Christum existit, comprehensos fuisse: ex quo idem colligitur de hodierna necessario consequens.

Tertium, Judæos in veteri Testamento Legi Mosaicæ ex ejus praescripto, & imperio parentes, hoc est eodem modo, & affectu, quem Lex, auctore Legis Deus aperte præscribat, ejus mandata servantes, eo ipso peccasse, & damnationis reos fuisse.

Tria hæc nuperæ decreta facta, quæ illorum ex placitis & principiis efflorescere; quæ disertis etiam verbis, ac sententiis affirmari in eorum libris, ante omnia demonstrandum est: maxime ex Apologetico: cujus auctor caliditatis ad dissimulandum, & versutiae minus attulit.

II. IMPRIMIS igitur, Synagogam Judaicam, quæ Christi antecessit adventum, & ad vetus Testamentum pertinuit, Dei Ecclesiam non fuisse, docet Apologeticus secundus, capite sexto libri secundi: in quo probare nititur id, quod in lemmate capituli præfixum legitur, perperam ab D. Haberto Synagogam cum Ecclesia confundi; & Testamenti veteris alumnos, quæque ad Testamentum illud atinebant, cum justis, & sanctis, qui ejusdem veteris Testamenti tempore vivebant, & ad novum spectabant, promiscuè haberi.

Quamobrem * cum D. Habertus ita scripsisset; Augustinum sentire, non nisi unam fuisse unquam Ecclesiam, unamque Religionem, tamen triplex fuit Lex, Naturalis, Mosaica, & Evangelica: tum eandem Ecclesiam, in qua hæc censentur, sub Mosaica lege vixisse, & eam observasse, ac sanctificasse, hoc est sanctæ, ac religiosæ coluisse: ad hæc * Apologeticus, verum id quidem fatetur, quod ex Augustino sumptum est, unam ab initio, ad hoc tempus Ecclesiam decurrisse, quæ justos omnes, & electos ab Abele, ad novissimum omnium futurum amplectitur: verum negat, Synagogam Judaicam ejusmodi Ecclesiam fuisse: quippe Judaeorum religionem nihil aliud nisi figuram Christianam fuisse: ac Testamenti veteris alumnos, de quibus Dominus Ipreus loquitur, unica istius Ecclesiae partem nullam constituisse. Addit, justos illos omnes, qui ante legem editam, & deinceps ea jam latâ floruerunt, in eadem, in qua nunc sumus, Ecclesia versatos esse; sed in veteri Testamento non censeri; quamvis illius tempore vixerint. Nimirum quod de Apostolis suis Dominus dixit, eos in mundo esse, sed non esse de mundo; id ipsum & de prescis illis Patribus viris sanctis usurpari licere: sic eos in veteri fuisse Testamento, ut de veteri Testamento non fuerint: quod totidem verbis explicat Augustinus in Expositione Epistolæ ad Galatas. Qui & * alio in loco, Veteris quidem Testamenti dispensatores, & gestatores, sed novi heredes illos vocat: & nondum nomine, sed re ipsa Christianos ait fuisse. Hæc Apologeticus; quorum iste sensus, atque hæc summa videtur esse: Unam dumtaxat ab orbe condito; per omnes ætates, Ecclesiam existisse, eamque Christianam: quæ justos omnes amplexa sit, qui Testamenti veteris tempore vixerunt: Synagogam vero, sive Judaici populi coetum, qui Mosaicæ Legi, & Testamento veteri serviebat, extra veram Ecclesiam fuisse.

III. NEQUE vero dum alumnos Mosaicæ legis extra veræ fines Ecclesiae relegat, eos solos intelligit, qui origine tantum & carne Judæi, ut etiam externa professione, & commercio Sacramentorum implicati, inæternæ ætatis illa ferebat, vel caritatis vestigium, sed profusius infideles, & exleges erant: ejusmodi hominum ingens per id tempus multitudo fuit; qui vicinarum usi gentium, & consuetudine depravati, ad earum mores, superstitionesque quæ palam, quæ occulte defecere solebant. Non illos, inquam, Apologia solos exortos ab Ecclesia vera fuisse sciscit: verum Judæos uni-

* Apologi.
pag. 170.

* P. 171.

* Lib. 1.
ad Bonif.
con. ep.
Pel. cap. 4.

verfos: qui in veteri Testamento profitebantur, ac Mosaica Legi obsequabantur. Quorum extra veram illam, & unicam Ecclesiam depurandorum causam hanc idoneam fuisse censet, quod Legi ex prescripto ejus obtemperarent, hoc est, quod ab Lege imperata eo fine, ac scopo proposito facerent, quem Lex ipsa monstrabat, ac prae se ferebat.

Hanc illius sectae mentem esse, tum Apologia verba illa declarant, quae hic exscripti, ac cetera capituli ejusdem; tum ista capituli noni; * An quisquam dubitare poterit, quin filiorum Testamenti veteris status ejusmodi ex Augustini mente fuerit, qualem D. Irenaeus descripsit? hoc est multitudo carnalium hominum, qui Deo non aliter obtemperabant, quam bonorum desiderio terrenorum, & amittendorum metu: qui neque fidem, neque spem, neque caritatem habebant; & quod consequens est, vitam aeternam assequi nullo modo poterant; quod nominis per illas virtutes perveniunt. Igitur qui Deum colebant, ejusque praeceptis obediabant terrenorum spe, ac desiderio bonorum, & iidem carenti metu; extra veram, & unicam Ecclesiam habebantur; eratque damnabilis illorum status, utpote qui ex infidelibus, ac desperatis, & omni peccatorum genere contaminatis hominibus constabat. Atqui Mosaica Lex, ut iidem Anomi sentiunt, illam terrenorum bonorum cupiditatem, & affectum colendi numinis, ex solo commodorum istorum desiderio, quo ipse fovebat, quod supra demonstravimus. Ex quo id sequitur, quod probandum sumpsimus, Synagogam Judaicam, sive populum Hebraeorum, quo cum Deus Testamentum vetus, ac foedus suum pepigerat, quatenus eidem Testamento, ac Legi Mosaicae, ex prescripto legis ipsius, & eo, quem Deus ingenerare volebat, affectu serviebat, non fuisse Dei Ecclesiam; sed quamdam hominum infidelium, & sceleratorum colliviam. In hunc sensum Anomorum * principis effatum illud aperte conspirat, cui Apologia * patrocinator: Synagogam consideratam ut Synagogam non fuisse aliud, quam terreni populi turbam, hominumque carnalium, soli terrenis, & carnalibus incubantium, & propter illa sola colentium unum Deum; de quo vide quae capite primo & secundo dicta sunt, & quae paullo post uberius exponuntur. Denique cum solos justos veteris tempore Testamenti, in vera Ecclesia numeratos esse putet Apologeticus; & eosdem neget ad Synagogam, aut vetus Testamentum pertinuisse; sed in novo Testamento, Ecclesiamque Christiana recensendos velit, quod subinde monstrabimus; evidens est, Testamenti veteris statum, Legisque Mosaicae, ab Ecclesiae veteris communione segregari.

IV. QUOD igitur de tribus novitiae illius sectae dogmatibus secundo est a nobis loco positum; solos justos & sanctos tempore veteris legis, in vera Ecclesia numeratos fuisse, id ex Apologetici verbis hunc in modum colligitur. Etenim si nulli, praeterquam justis, & sanctis, extra vetus Testamentum erant, aut in vera Ecclesia, id est Christiana, reconebantur, ceteris qui iustitia carebant, sub lege, ac Testamento veteri relicti (quod affirmari in * Apologetico, hujus initio capituli ostendimus) ac si omnes illi, qui sub Testamento erant veteri, alieni erant ab vera Ecclesiae societate, utpote fidei, spei, & caritatis funditus expertes, ut ex eodem Apologetico paullo ante memoravimus; profectio nemo, nisi justus, & sanctus, Ecclesiae veteris pars fuit.

Quin etiam Apologeticus, libri ejusdem secundi * capite octavo, Ecclesiam illam unicam, & veram, ad quam Synagoga pertinebat, ait per illud tempus in existio justorum numero resedisse. Quicumque ergo justus non erant, & ab sola caritate, ac sanctitate, letali quopiam admissio peccato deciderant, in Ecclesiae corpore non manebant. Quod alterutro modo factum esse ex Apologetici rationibus oportuit. Aut enim una cum caritate, ac iustitia, necessariam fidem amittebant, quicumque letale aliquid crimen incurrerant; aut si fides in illis haerebat adhuc, ea minime sufficiebat, ut in Ecclesiae parte aliqua numerarentur. Horum utrum dixerint, nihil ad haerendum, & Catholicae fidei labem interest. Nam utrumque pro haeretico damnatum, & inter cetera Lutheri, Calvinique, & ante hos Wiclefi, nefaria dogmata jam pridem Ecclesiastica censura notatum est. Quod si una, eademque Testamenti veteris tempore fuit Ecclesia, quae nunc est; nec alia praeter Christianam unquam existit; ut Apologetico placet;

* Apol. p. 186.

* Cap. 1. r.

* To. 3. lib. 3. cap. 6. p. 115.

* Apol. lib. 2. cap. 8. p. 181.

* Cap. 6. lib. 2. p. 169. 170. 171.

* P. 181. lib. 25.

idem & in hodierna consequens erit, nemo ut in illa censeatur, qui sola fidem reliquam habeat, postquam caritatis, & sanctitatis iacturam graviore aliqua culpa fecerit.

V. TERTIUM nuper Anomorum sectae praecipuum illud erat; Judaeos Testamenti veteris alumnos, in eo ipso, quod Legi obtemperabant, hoc est dum ea, quae imperata sibi erant, eo fine, animoque praestabant, quem Lex ipsa prescriperat, scelus fecisse, ac sempiternam damnationem meruisse. Id adeo illorum ex dictis ac decretis ita conficitur. Quorum hoc est primum: * Diligere Deum propter carnalia, impurus, carnalis, & vitiosus amor est, eique propter sola terrena inhaerere, hoc est illi servire, & ejus praeceptis obsequi, valde vitiosum est, puritatisque caelestis regni adipiscendi necessaria ex diametro contrarium: aiunt novi isti Theologi, ex Patriarchae sui sententia: cujus verba sunt illa, quae retuli. Nam & universum amorem illum, quem vocant, concupiscentiam, quo Deo non propter se solum, sed propter qualitates quae bona ab illo promissa servantur, & obtemperatur, malum vitiosumque esse sentiunt eodem illo praecunte. Concupiscentia, inquit, respectu Dei amor vitiosus est. Quo nomine affectum illum intelligit, qui ex mera, & perfecta caritate non oritur, ut ex sequentibus; adeoque tota ex illa disputatione constat: maxime autem ex * eo quod amorem illum Dei, quo propter retributionem operamur; dum aliquid à Deo extra ipsum, vel ipsum etiam, tanquam mercedem sibi utilitatem, expectant homines, vitiosum, & Christiano indignum esse dicit.

VI. ATQUI Mosaica lex (quod alterum est istorum dogma) illam ipsam concupiscentiam, cupiditatemque terrenarum rerum, & mercenarium obsequium ex professo alebat, & incitabat, fomentis adhibitis, ac premiis, uti capite primo ex illorum verbis ostendimus. Quisquis igitur eo animo, & affectu, quem Lex immo Legis auctor, latroque Deus, elicere cupiebat, & omnimodis studebat, Dei praecepta servaret; & ab eo imperata faceret, hoc est eorum spe bonorum, ac premium desiderio, quae sola tum ad exigendum obsequium ostendebat Deus; eo ipso graviter peccabat; & aeterni supplicii reus erat, non illiberali tantum, sed etiam vitiosa, & impura cupiditate, iram illius in sese provocans. Hoc verò insuper inopinatum, & abhorrens incidem sequitur, non eum modò deliquisse, qui Legis iustus obtemperaret, sed etiam quò vehementius, & alacrius obsequi studeret, eo ipso graviore in culpa fuisse. Nam cum peccet is, qui turpi, & vitiosa cupiditate ad agendum, aut appetendum aliquid trahitur, quanto ardentior est illa, ut totam in sese convertam, & occupatam voluntatem habeat, tanto feliciter majus, atrocisque crimen existit. Quamobrem si legi parere, eo, quem Lex proprie ingenerare studebat, amore terrenorum bonorum, ac spe, in vitio, ac delicto numerabatur; quò illud cupidus est actum, eò peccatum est magis. Haec sunt consuetaria doctrinae illius, quam ab antilibris suis traditam Apologetici auctor pro Catholica, & Apostolica tuendam, explicandamque suscepit.

VII. NEQUE verò sublevanda pessimae suae causae turum satis perfugium in illa Pauli sententia constituit, quae Judaeis veteribus * in figura omnia contigisse dicit: vel in eo quòd * Augustinus legis antiquae caeremonias & sacramenta cum ludicris puerilibus, & crepundis comparat, quibus puerilis animus avocatur; quae grandescens excutuntur de manibus. Ex quo Armacanus illepidi cuiusdam dicti occasione sumpsit, * Nihil aliud fuisse Testamentum illud, nisi magnam quamdam quasi comediam, quae non tam propter sapientiam, quam propter id, cui praesurgando serviebat, hoc est propter Testamentum novum, ejusque principem & heredem Ecclesiam, ab illa gente, tanquam ad hoc idonea ageretur. Haec, & generis ejusdem alia, quae contra illusterrimum D. Habertum Vabrensem Antislitem odiosè * cumulat Apologeticus Scriptor, nihilo vendibiliore Anomorum causam faciunt. Non enim sanctorum rerum per scelera, & flagitia significantiones instituendae sunt: nec ad eas adumbrandas id quod per se criminofum est, fas sit ulla lege, ac mandato praescribere. Immo verò, quò res est aliqua sacratior, quae impure gestioni, fabulaeque subicitur, eò minus est illa tollerabilis. Addit enim ad instam sibi turpitudinem etiam violatae sanctitatis, & sacrilegii notam.

VIII. * EURIPIDI Poetae vitio datum est ab antiquis, quò in docendis fabulis obscenarum palam in scena rerum actiones, spectatorum oculis objiceret,

Ταῦτα ἀνοσίους εἰσέφην εἰς τὸ πρῶτον,

Velut * Juniam Paphiaem Diſco taurò; cujusmodi spectaculum Neronem exhibuisse testis est * Suetonius. Hoc verò per sese nefarium, si ad sacrum, & religiosum aliquid significandum adhiberetur, quis non detestando perhorresceret? * Siquidem rem bonam & honestam sub turpi subicere, & quae utilia sunt per ea quae detrimenosa sunt ostentare, non est ejus qui professe velit (quippe utilitas ibi latens est, & obscura) sed potius obesse cupientis. Hoc enim est in promptu: ut prudenter scriptum est à Maximo Tyrio. Atqui fabulam & comediam ejusmodi Testamenti veteris, Apologetici Scriptor cum Armacano suo constituit, & illius auctorem, ac comedodidascalum facit ejusdem Testamenti conditorem Deum. Quid enim aliud istos moliri censeas, qui impurum, & flagitiosum divinitatis cultum, ac κατεργάων Ισραηλιτικοῦ populo mandasse Deum asserunt; & propositis premiis ac penis, velut irritamentis, promovere studeant? Non capiunt Christiana aures, ac pie, tam apertam blasphemiam: quam vitare profus Armacani, salva magistri sui, & antilibris auctoritate nequeunt. Sed de hoc argumento scriptum est à nobis * alibi copiosius.

CAPUT VI.

1. Digressio ad explicandum legis, ac Testamenti veteris statum, ex Apostoli ad Romanos epistola doctrina ab Augustino declarata. 2. Judaeorum, ac gentium de justitia contentio. 3. Quid Lex proprie egerit. 4. Cur eam à gratia sejunxerit Apostolus. 5. Legis veteris ratio potissimum in sanctione, quae poenae institutione spectatur. Quid sit sub lege esse. 6. Finis, ac scopus in danda lege. 7. Deo propositi, isque triplex. 7. Qui sigillatim probatur.

I. QUO & expeditior sit controversia hujus exitus; & Anomorum fallacia suis ex lateribus evoluit, magis appareat, atque existit, visum mihi est hoc loco nonnulla proponere de Mosaicae legis, ac Testamenti veteris statu, & efficientia; quae lucem nobis praestant ad eam caliginem discutendam, quam natio ista rebus alioqui non ut ex sese certis, ita perspicuis offudit. Et quoniam omnia verba, quae de Lege, ac gratia explicantur à Theologis, ad Apostoli doctrinam, quae in Epistola praesertim ad Romanos tradita est, tanquam ad regulam, diriguntur; inde nobis faciendum est initium, ut de illius epistolae primario fine, ac summa instituta illic disputationis agamus. Nec aliunde repetenda est istius ratio, quam ex Augustino ipso, qui luculentissimè ex omnibus de hoc argumento disseruit, & verò praecipuam questionem huic occasionem dedit.

Ex * Augustini proinde sententia constat, id quod alioqui ipsa per sese lectio docere potest, ibi Apostoli consilium esse, contra oblatrantes utrumque, hinc gentiles, inde Judaeos, deque principatu meritorum, & prerogativa litigantes, Christi redemptoris, & illatae per eum gratiae partes suscipere. Nam cum ex ambobus populis, Judaeis, & ethnicis, Christiana coaluisset Ecclesia; quaedam, ut humanitus evenit, inter illos contentiones, & similitates existerunt. Ac primi quidem Christo nomen dederant Judaei: qui cum ob legem divinitus traditam majoribus suis, ac Prophetas, & Sacramenta, foedisque secum à Deo percussim, reliquos se mortalibus anteferebant, meritis hoc suis, & dignitate tribuebant, quòd Christus è caelo descenderat, & Evangelium, ac caeleste adeò regnum hominibus apportarat.

II. QUAMOBREM gentiles, & praetipio praeditos, tanquam impares, & indignos beneficio tanto, ac communtione primum illius ardebat. Hinc illa Orientis Ecclesiae turbæ, ab Judaeis fidelibus contra principes Apostolos nec leves, nec raro concitatae; quòd ethnicis iter fidei, & salutis aperiri, nondum æquo animo paternerent. Quorum etiam querelas, & offensionem veriti Christi discipuli cum solis fere Judaeis initio rationem habebant. Post autem divino monitu, ac prodigiis ad impediendas Evangelio nationes impulsis, popularium Pars III.

in se suorum invidiam acerbunt: qui tam parabilem illis reddi salutis, aemitatisque spem indignè ferentes, eò demum lapsi sunt, ut ea lege gentiles admittendos ad Evangelii communionem dicerent, si antè Mosaicis ritibus, ac caeremoniis initiati praprium ponerent. Quod & plerisque persuaserunt. Sed hic error Apologetici interditi gladio in Jerosolymitano Concilio succisus identidem tamen pullulare non desit: ut ad eum opprimendum non mediocri contentione, neque paucis, ac vulgaribus hortationibus opus Apostolo Paulo deinceps fuerit. At gentiles ipsi mutuo in Judaeos odio, & contemptu se vicissim ulciscabant: quorum & sacramenta, ac mysteria parvi pendebant, & de sapientibus suis, ac philosophis, doctrinarumque omnium possessione gloriabantur.

Hanc rerum in Ecclesia perturbationem nactus Apostolus; quod vel Romæ, ut est credibile, potissimum invaluerat, vel doceri maxime Romanos orbis principes, per eòsque propagari in reliquos Christianae fidei salubritatem intrerit, hoc sibi ad illos scribendi sumpsit argumentum epistola ista; cujus ea primaria questio est, ut ait Augustinus in expositione ad eandem epistolam, utrum Judaeis solis Evangelium Domini nostri venerit propter merito operum Legis, an verò nullis operum meritis praecedentibus, omnibus gentibus venerit justificatio fidei, qua est in Christo Jesu. Ut non quia justus erant homines, crederent, sed credendo justificari, deinceps justè vivere inciperent. Hoc ergo docere intendit Apostolus, omnibus venisse gratiam Evangelii Domini nostri Jesu Christi, quam propterea etiam gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum justitiae redditum est, sed gratuitum datum.

Atque ut amborum animos opinione sui, & gloriae cupiditate ad contemptum aliorum, & odium incitatos compesceret, neutris eam, quam affectabant, virtutis, & sanctitatis laudem obtigisse demonstrat. Nam quod ad Gentiles attinet, quibè de sapientia, & exquisita rerum notitia sibi placebant, adeo nihil hac re profectio docet, ut illorum praestantissimi quique, quos Sapientes, & Philosophos appellabant, omnium mortalium deterrimi, & inquinatissimi fuerint. Sed nec Judaeos, qui legem divinitus acceptam ostentare solebant, multum ex eo consequutos ostendit. Non enim meliores inde esse factos, nec ex illa, uti par erat, servata, decus ac laudem: sed violata potius, delicti, ac damnationis incrementum acquisisse. Siquidem pessimos, ac depravatissimos fuisse dicit. * Qui cum alios docerent, seipos non docerent; qui praedicarent non furandum, & furarentur, &c. Qui cum in Lege gloriarentur, per praevagationem Legis Deum inbanorarent, adeo ut nomen Dei per illos blasphemaretur inter gentes.

III. QUONIAM verò tum Judaei plerique, qui Christo nomen dederant, justificatos se legis beneficio credebant, ejusque merito iustitiae, Christi fide, & Evangelio donatos; tum ceteri, quorum animus ab Evangelio adhuc abhorrebat, nihil se hujus indigere ad promerendam justitiam putabant, sola lege contenti; idcirco de efficientia legis, & fructu accuratè disserit Apostolus, ut minime illam ad justitiam, & salutem facis esse doceat. Quod ut persuadeat, duo illa componit inter se, legem Mosaicam, & gratiam: ac quid cuique per se, & ex censu proprio conveniat, ultimare pergit; non quid ex alterius consortio, & communtione in se transfatum obtineat.

Lex igitur, si per se spectetur, hoc unum habet officium, ut quid faciendum, quid cavendum sit, praescribat. Praesertim verò ut penarum comminatione ab infringendo mandato homines absterreat. Inde est, quòd Apostolus ait, iram operari legem, quoniam hoc actum est per legem, ut ait * Augustinus, ut peccatum agnosceret. * Ep. 95. tur, & praevagatione augetur. quippe per legem, in-p. 123. quit Apostolus, * cognitio peccati, quod ita lex velur * Rom. 3. latens ostendit, ut ad illud cavendum, aut superandum, nequitiam vires sufficiat. Nam servilem animam per se dumtaxat avertit hominibus, & mali, ac supplicii metum ostentat. Ut autem cognitum ex lege peccatum vitari possit, ac lex impleti, non lex ipsa tribuit, nec iustitia legis, sed sola Christi fides, & gratia.

Quocirca quando cognoscit homo peccatum, ait * Augustinus, si non adjuvat gratia, ut cognitum caveatur; sine Grat. & dubio lex iram operatur, &c. quia ira Dei major est in lib. Arb. praevagatione, qui per legem cognoscit peccatum, & tamen c. 10. facit.

220 IV. QUOD AUTEM * Apostolus legem sejunxit a gratia, & quid ex se quaeque conferret, seorsum consideravit, causa fuit Judaeorum, quos contra disputabat, importunitas, & insolentia; qui ignorantes Dei justitiam, & suam quaerentes statuere, justitiae Dei non sunt subiecti: ac sibi ad justitiam assequendam sufficere legem existimabant: Ideo necesse fuit Apostolo duo illa separatim intueri, & quid singulorum proprium esset, ac quid per se navaret exponere. Quod non sic intelligendum est, quemadmodum Anomorum habet non satis considerata ratio, ut a Lege prorsus divisa fuerit gratia, hoc est nullum cum lege adjumentum gratiae Deus olim Judaeis concesserit. Ita enim sese res habet, quod alibi diximus, ut si quis Philosophos nescio quos refellere cupiens, qui efficientes causas a Deo creatas per se deinceps, & sine concursu illius moveri ad agendum, ac niti suapte vi & ingenita sentiunt; eam rationem teneat, ut quid creatae causae proprium sit; quid item creatoris, separatim explicet. Qui sic disputabit, non eo sentire judicabitur, interjectam causam sine principali ope, & concursu aliquid efficere: sed ea potius, qua in re, & usu conjuncta sunt, natura & cogitatione separasse. Sed de hac re postea. Nunc quod copius, de Apostoli doctrina pergamus dicere.

V. ANIMADVERTI paullo ante, in lege Moisaica potissimum illud ab Apostolo spectari, quod poenam, & capitale noxiam contra se committentibus infligit. Etenim duo funt in omni lege, alterum mandatum ipsum, quod jubetur, vel prohibetur aliquid: alterum, poena, quae contra legem facientibus irrogatur, quam jurisconsulti sanctionem vocant. Quae posterior ratio potissimum in lege spectari ab Apostolo, cum de lege disputat. Ut cum ministracionem mortis vocat * litteris deformatam in lapidibus, & ministracionem damnationis. Aut cum ita scribit, * Lex iram operatur. Item * quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Propterea & * Lex mortis nominatur, eo quod praecipita sic a Deo data sunt, ut adversus delinquentes poena, ac supplicia denuntiarentur. * Ut populus cui terror utilis erat, severissimo imperio domaretur, ait Augustinus: Et quemadmodum videbant dari in manus suas interficiendos inimicos impios, cuiusque simulacrorum; sic ipsi formidarent in manus inimicorum suorum dari, si Dei veri iusta contemnerent, & ad cultum idolorum, atque impietates gentium laborarent. Sic in libro primo ad Simplicianum, * quaestione secunda; Ustratus, inquit, vocatur lex, quando minatur, & terret, & vindicat. Quam etiam ob causam sub Lege esse proprie dicuntur apud Augustinum, qui Legem non implentes, rei ab illa constituuntur, ac morti, quam illa minatur, obnoxii. Qui legem implet, * ait Augustinus, non est sub Lege, sed cum lege; qui autem sub lege est, non juretur, sed premitur lege. & * alibi, sub illa esse dicuntur, quibus dominatur; eis autem dominatur, quos puniunt. Punit autem praevicacitatem omnes, Et paullo post, Ustratus enim vocatur lex, quando minatur, & terret, & vindicat. Sic Ambrosio tributus commentarius in epistolam ad Romanos haec Apostoli verba declarans, Peccatum enim vestri non dominabitur. Non enim sub lege estis, sed sub gratia, luculentam hac de re orationem explicat. * Si secundum praecipita, quae dat, ambulamus, inquit, peccatum nobis dicit non posse dominari. Iis enim dominatur, qui peccant. Non enim ita ambulantes ut praecipit, sub lege sumus: si verò non peccemus, non sumus sub lege, sed sub gratia. Si autem peccemus, versumur sub lege, & incipit nostri dominari peccatum: quia qui facit peccatum, servus est peccati: & necesse est quod sit sub lege quamvis remissam non accipit. Peccatum enim auctoritate legis reum facit peccatorem: ac per hoc cui data remissio est, & custodit se ne de cetero peccet, neque peccatum ei dominabitur, neque sub lege est. Cessat enim circa eum auctoritas legis, qui liberatus est a peccato. Quos enim reos tenet lex, traditi sunt illi a peccato. Qui ergo peccatis exutus est, non potest esse sub lege.

VI. PRAETER haec verò, ac pra omnibus illud in Apostoli disputatione de Lege considerari volo, quem finem, ac scopum in edenda Lege Judaeis Deus sibi praescripserit. Non enim uniusmodi reperitur. Nam interdum sic de ea loquitur, ut ob hoc datam significet, ut abundaret delictum. * Lex, inquit, subintravit, ut abundaret delictum. Et * conclusit Scriptura omnia sub peccato. Hoc est concludi permisit, ac velut arcari omnes in peccatum, ait Photius apud Occumenium. & figura

* Rom. 7. 5. Gal. 3. 22.

sunt alia ejusdemmodi loca. Nonnumquam adversus peccata, & ad ea comprimenda, & amputanda posita esse dicitur, propter * transgressiones, inquit, posita est. Hoc est eas prohibitura, ut ait Hieronymus in commentario ad illum locum, quod & alii plerique Interpretes, maxime Graeci sequuti sunt. Nonnumquam legis fructus ille monstratur, uti peccatorum suorum, ac meritorum consilii homines ad gratiam, & Dei auxilium confugerent. Ita enim Augustinus * verba illa Apostoli quae supra memorata sunt, conclusit omnia sub peccato, intellegenda putat: nempe hoc actum esse per legem, ut peccatum agnosceretur, & praevicacitate aueretur, & sic adversus victoriam peccati, ad divinam gratiam, quae in promissionibus est, confugeretur.

Ex quibus omnibus triplicem veluti gradum divinae providentiae, ac finem discernere oportet, quem in danda lege propositum habuit. Primus est, ac directus, ut a peccando deterreret homines. Quid enim volebat Lex? ait * Chrysostomus, nempe justum facere hominem, &c. hic igitur finis erat Legis, & ad hoc omnia spectabant, & hujus rei gratia omnia facta sunt: & fides, & praecipita, & sacrificia, ac cetera omnia eo pertinebant, ut homo justificaretur. Quam eandem de legislatione sententiam innumeris in locis repetit idem Chrysostomus, quo sensu plerique Patres verba illa Isaia, ut apud Septuaginta leguntur, interpretati sunt, * Lex in auxilium data est. Hinc Dorotheus in doctrina prima. * Deinde, inquit, Legem bonus Deus ad auxilium, ad conversionem, ad emendationem praevicacitatis. Eodem quoque pertinet, quod plerique Veteres, cum de causis Incarnationis, & adventus Christi dicerent, unam hanc ante alias adducunt, quod cum sanandis humani generis peccatis, sic tamquam morbis, varia adhibuissent remedia, & in irritum cuncta cessissent, postremo quod erat omnino praesentissimum, excogitavit. Inter illa vero medicamenta Legem, ac Prophetas enumerant. Sic Athanasius in * libro de Incarnatione, Joannes Damascenus, Dorotheus in illo quem paullo ante citavimus loco, * Andreas Cretensis; & alii bene multi. Philo Carpatrius in Cantica: Post omnia, inquit, condita decem praecipita legis data sunt homini, ut qui natura legem abjecerat, divina saltem frenaretur.

Verum cum perexiguam fore fructum illum legis praevideret Deus, neque virum satis habiturum legem terrorem, aut praemiorum illecebram, ad continendos in officio mortales; alterum veluti effectum legis designavit; uti pessimos homines fineret occasione exlegessimpta; in majora provolvi scelerata: ut hac poena antecedentium esset criminum, praecipit in graviora lapsus, ac cecitas, & obduratio mentis, quam nec effici, nec directe a Deo procurari, pia & sana fides agnoscat, nec nisi iusto iudicio permitti.

Sed quia divinae bonitatis peculiare illud est, ut mala non alia de causa fieri permittat, quam ut ex illis bona procuret; nec ulla cuiusquam ruina ex divina dispositione constituta est, * ut ait Prosper; hinc alius porro, idemque tertius finis objectus est divinae sapientiae, quem ex illa permitti mali labe traheret, ut homines peccatorum suorum tadio, ac legis, & poenarum terrore fracti, ac domiti, cum se debiliores esse cernerent, quam ut patriam cum lege, divinaeque iustitiae facere possent, humiles fierent, & ad meliora reverti cupientes, liberatoris gratiam, & misericordiam elicerent. Hic triplex in lege statuenda finis legislatoris Dei, ac Moisaici mandati fructus, Augustini, ac Patrum quamplurimorum auctoritate nititur.

VII. PRIMUM de tribus scopum Augustinus indicat in Tractatu ad Psalmum cxxxiii sub finem, Solent, inquit, omnes haeretici, maxime Manichaei, reprehendere Legem, & dicere, quia Deus illam non dedit. Exponendus est locus iste, ut cognoscatur, quia & Legem Deus dedit, & Lex per Moysen data est, ut nos salvaret (nimirum quantum erat ex se, & ex dantis consilio, ac voluntate.) Et in * epistola lxxxix, Nam & ipsa Lex in hoc adiutorium data est iis, qui ea legitime utuntur, ut per illam sciant, vel quid adhuc eis desit, unde gratias agant, vel quid adhuc eis desit, quod instanter petant. Joannes item Damascenus libro tertio de Fide, capite primo sub initium; in Lege danda, ut & Prophetis, id Deum fuisse, & assequi voluisse scribit, ut peccatum deleteret, lada diffusum, & ut ad bonum statum revocaret hominem.

D: 150.

De secundo Legis sine passim idem Augustinus meminuit, ut in eadem epistola lxxxix. Lex, inquit, subintravit, ut abundaret delictum; sive cum homines negligunt, quod Deus jubet, sive cum de suis viribus praesumentes, adiutorium gratia non implorant, & addunt infirmitati superbia. Item in * primo ad Simplicianum, quaestione prima. Lex auget concupiscentiam, inquit, ex prohibitione, & reum obligat ex praevicacitate, jubendo, quae implere homines ex infirmitate non possunt, nisi se ad Dei gratiam pietate convertant. Vide & librum de spiritu, & littera, capite quarto. Etenim * libro quaestionum super Exodum: Lex posita est in veteri Testamento, quae convinceret transgressores, quae subintravit, ut abundaret delictum.

VIII. TERTIUS denique fructus legis iisdem ferè sententiis Augustini comprehenditur, ut ad Psalmum cxviii. * Lex ad hoc prodest, ut mittat ad gratiam. Et paullo post. * Oportebat ergo ut superbis, & de libertate sui arbitri praesumentibus Lex daretur, qua praevicacitatem quicumque compuncti humiliarentur, non iam per legem, sed per fidem, ad subvenientem curverent gratiam. Rursus ad psalmum cii. Ad hoc data est lex, ut convinceretur languidus, & medicum imploraret. Et in libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum, capite iv. Per Moysen, inquit, revelatum est Testamentum vetus, per quem data est lex sancta, & iusta, & bona, per quam fieret non abolitio, sed cognitio peccati, quae convinceretur superbi suam iustitiam volentes constituere, quasi divino adiutorio non egentes; & rei facti littera, confugerent ad gratiam spiritum, non sua iustitia justificandi, sed Dei, hoc est, quae illi esset ex Deo. Denique libro i. de Gratia Christi, capite octavo, hanc esse legis utilitatem demonstrat, Quoniam quos facit praevicacitatis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & ut concupiscentias malas superent adiuvandos. Jubet enim magis, quam jurat: docet morbum esse, non sanat. Immo ab eo potius quod non sanatur augetur, ut attentius, & sollicitius gratia medicina quaeratur.

Verum innumera sunt Augustini de hoc argumento testimonia, quae ab Armacanis magno numero collecta sunt, ut absonum dogma, & sponte sua ruiturum, hac fultura sustentarent.

Postremo de legis instituto, & effectu, quod ex accidente, ac praeter latoris voluntatem exiit, eruditè disputat tribus * Ambrosio commentarius in epistolam ad Romanos. Planè, inquit, necessaria fuit lex, ut ostenderet imputari apud Deum peccata, quae impunè fieri credebantur: ut de cetero scirent quid evitare deberent. Unde Esaias Propheta; * Lex, inquit, in adiutorium data est. Ut quia ipsi natura quemadmodum inserta sunt iustitia semina, addita lex est, cuius auctoritate & magister ingenium naturae profeceret ad fructum iustitiae faciendum, &c. Proinde proferat ergo data est lex in adiutorium, sicut testatur Propheta: sed populus veterem consuetudinem sequens, multiplicavit peccata. Ipse enim usu plus cepit peccare, quam antea peccaverat: & sic factum est, ut data lege non minuerentur, sed abundarent peccata.

CAPUT VII.

Consecraria ex ratione legis superiori capite consecrata. 1. Resoluitur error Anomorum negantium Judaeos, ad servandam legem sibi divinitus traditam, ullis gratia fuisse praesidiis instructos. 2. Gratia genus duplex, initialis, & adultae. 3. Hanc caritatis, illam fidei nomine Augustinus appellat: & utramque rursum caritatem nominat. 4. Legis quoque vocabulum interdum mandata, interdum certum significat populi lege devoti. 5. Utroque modo lex vetus a nova distat, ut figura a veritate. 6. Ex eo vetus est dictum prius Testamentum, quod in promissis temporalibus, figuraret spiritum, & aeterna. 7. Praecipita legis novae, quod ad substantiam attinet, eadem quae veteris, aut parè eadem esse Veterum aliqui dixerunt. 8. Finis in quo diversus: & an promissum in lege veteri regnum caelorum.

I. ONNIS illa superiori exposita capite, atque ex sacrorum librorum, & Augustini auctoritate consecrata ratio Legis, quadam nobis consecraria, & velut mensuram pariet, ad inequentem opportuna disputationem, & magno deinceps usui futura. Quorum

primum est, in quod tota ferè moles disputationis huius incumbit: & unde occasione nata recens Anomorum opinio, ad contumeliam legis erupit. Etenim quia necessariam ad bene agendum gratiam, quam sufficientem vulgò nominant, funditus è medio tollere instituerunt, nullam omnino legi comitem adjunctam fuisse docent; nec Judaeos, quibus illa divinitus est data, ullis ad eam servandam auxiliis esse gratiae subornatos, ac sussultos. Quod minime tolerandum genus erroris, ex iis, quae capite antecedente notata sunt, arguitur, ac refellitur: dum ita constat; legem eo sine latam à Deo, * ut, quod luculenter, ac passim inculcat Augustinus, cum implere non possent legem datam, praevicacitatem invenirent, & facti rei sub lege, peterent misericordiam à legi conditorum. Vel, ut * gratia medicinam non sanata per legem, sed convicta infirmitas quaereret. Et in epistola lxxxix. Nam & ipsa lex, ait, in adiutorium data est illis, qui ea legitime utuntur, ut per illam sciant vel quid iustitiae iam acceperint, unde gratias agant, vel quid adhuc eis desit, quod instanter petant. Qui autem sic audiunt, quod ait Lex: Non concupisces, ut hoc quia didicerint, sufficere sibi arbitrentur, nec adiutorio gratiae Dei ad faciendum quod iustum est, dari sibi virtutem credant, & petant, ad hoc eis lex subintravit, ut abundaret delictum. Si igitur hunc in edenda lege veteri finem proposuit sibi Deus; si huiusmodi ex illa fructum capere voluit, ut superbi peccatores delictorum suorum conscientia fracti, & attoniti, sibi primum displicerent; tum se peccatores confessi, humiles coram Deo fierent, atque ejus opem postremo implorarent, & gratiam: si hoc sexcentis in locis affirmat, & uberrima oratione declarat Augustinus: & illis adeo in locis & sententiis, quibus magni & minuti ex Anomorum grege Scriptores librorum suorum margines impleverunt; ac si effecta illa omnia, gratiae propria sunt ejus, quae per Christum, & Christi meritis parata tribuitur: profecto legi Moisaicae gratiae praesidium annexum fuit; nec ea profusa exanguis, & exsiccata sicut celsis illius roris exaruit.

* I. ib. 2. de Act. cum Fel. c. 11. * Id. ep. 157.

Ad hoc data lex est, ait * Augustinus, ut de magno parvum faceret, ut se ad faciendum legem vires de tuo non habere monstraret: ac sic opis indigens, & egenus ad gratiam confugeret, & clamaret, Misere mei Domine. Atqui peccatorem se agnosceret, ac confiteri, humiliare seipsum Deo; ad remissionem peccatorum currere, planè opera sunt gratiae: ut * alibi tradit August. idem. Cuius & opera ista sunt: * Cum autem caperit tibi displicere quod fecisti, tunc incipiunt bona opera tua, quia accipis mala opera tua. Initium bonorum operum confessio est operum malorum, &c. Quia & hoc ipsum, quod tibi displicuit peccatum in quantum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi lucret, & ejus veritas tibi ostenderet. Sed nec ipsa rei istius cogitatio, nec initium voluntatis exterrit, ac supplicis, aliunde quam ex Christi gratia suppetit: ut Araficana secunda Synodus, Canone iv decrevit, & vi, & vii. & Tridentinum Concilium Sessione sexta, capite quinto, & Canone tertio.

II. PRAETEREA duplex ex iisdem fontibus Synodaliū decretorum, & Augustini, gratiae discernendum est genus; Nam alia est radis, & inchoata, quam initialem vocant, & est bonae voluntatis initium, ac quidam velut conatus respiciendi, promerendique gratiam. Altera est tamquam adulta, ac robusta gratia, quae robur ac nervos habet, ad operis effectum. Utramque gratiam liquidò, ac disertè Augustinus exprimit multis in locis, in quibus gratiam, & divinum adiutorium ad opera bona, per antecedentem fidem, & bonam voluntatem, & orationem impetrari dicit. Ut in epistola lxxxix. Ubi gratiam distinguit ab conatu obtemperandi, infirmitatis propriae confessione, & adiutorii postulatione. Valet (inquit paullo post initium) liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adiuvetur, quod fit humiliter petendo, & faciendo. Tum in locis illis paullo ante allatis Legem asserit ideo datam, ut per eam terribi homines, & humiliati, gratiae adiutorium postularent. In cum ait, Jubet ideo, ut facere iusta conati, & nostra infirmitate fatigati, adiutorium gratiae postere novimus. Et libro quarto contra duas epistolas Pelagianorum capite quinto, Ideo quippe lex iram operatur, inquit, ut tertio atque converso, ad justitiam legis implendam, Dei misericordiam gratia largiatur, per Jesum Christum Dominum nostrum. Cui suffragatur Ambrosius in libro primo de

* In Pl. Conc. 27. p. 573. * Tract. in Pl. 4. p. 154. * Id. Tract. 21. in Joan.

E e 3 Jacob,